Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

43

offerendum. hoc est amorem dei et proximi quorum unus tribus praeceptis septem alius conplectitur in
tegro esse corde seruandum. In quo uidelicet scripturae sacro denario decem mandatis cae
lestibus quasi totidem aureis nummis insignito uultum nomenque regis aeterni. hoc est ag
nitionem diuinae uoluntatis quisquis intueri nouit inuenit et quod et in tabulis cordis sui quis
que perfecte credit sperat diligit stilo sedulae cogitationis exarat. Et hoc nobiscum denarium
quasi sacculum clusum in uia portamus quando dicere scientes cum psalmista. signatum est
super nos lumen uultus tui domine dedisti laetitiam in corde meo. Ipsum tamen actiones fidei sig
naculum gaudiumque spei et caritatis. In occulta nostrae conscientiae meditatione seruamus deo
teste reconditum. Uerum patriam peruenientes regni nostri cuius uisione sitimus. ad quem in suo
decore contuendum toto nisu uirtutis tota mentis intentione properamus. quae in terris latue
rant in caelis coronanda nostrae bonae conuersationis donaria proferemus. quoniam in tenebris
diximus. In lumine dicentur. et quod in aurem locuti sumus in cubiculis praedicabitur in tectis.

Ascendit autem et ioseph a galilea de ciuitate nazareth in iudeam
ciuitatem dauid quae uocatur bethleem eo quod esset de domo et fa
milia dauid ut profiteretur cum maria disponsata sibi uxore pregnante.

Superna dispensatione professio census ita descripta est ut suam quisque patriam ire iuberetur. non
tantum propter misterium quod diximus. uerum etiam ut dominus alibi conceptus alibi natus insidiantis
sibi herodis furorem facilius euaderet. qui si bethleem [...]itas parentibus nasceretur. fugam eorum
subitam callidior seruator potuisset habere suspectam. praesertim cum eos de stirpe dauid unde
xpistum scirent futurum cuncti genus ducere nossent. cui dauid ipse et suo et nomine et patria et offi
cio testimonium perhibet. Dauid quippe manu fortis siue desiderabilis interpretatur. nomen
quidem in demutuans quod gigantem fortiter strauerit et pulcher aspectu decoraque facie
fuerit. sed altiori misterio illum de sua domo ac familia nasciturum praefigurans. qui singu
lariter mundi principem debellaret et speciosus forma prae filiis hominum. Et ipse in bethleem
natus et intellectualium pastor ouium. hoc est simplicium rector animarum. Cuius non prae
tereunda tam tanta quam benigna est humilitas intuenda. qui non solum incarnari pro nobis. sed et
eo tempore dignatus sit incarnari. quo mox natus censu cesaris adscriberetur. Atque
ob nostri liberationem ipse seruitio subderetur. quam etiam nobis humilitatis eius semitam.
Neque enim condicione suentis mutare sed animos petrus insinuat. subditi inquiens omni
humanae creaturae propter deum. siue regi quasi praecellenti. siue ducibus tamquam ab eo missis. sed et
coapostolus eius paulus. Reddite inquit omnibus debita. cui tributum tributum. Cui uectigal
uectigal. Cui timorem timorem. Cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis.
nisi ut in uicem diligatis. suum primogenitum;

Factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies ut pareret et peperit filium

Bene non solum propter indicium regii stemmatis sed et propter nominis sacramentum dominus in